DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA
DE
FORO COMPETENTE
S.R.I. PRINCIPUM & STATUUM
IN CAUSIS FEUDALIBUS, REGALIBUS, ATQUE EORUNDEM PRÆROGATIVIS ET JURIBUS ATQUE DE EO, QUOD JURIS CIRCA RECURSUM AD COMITIA

QUAM

SUB RECTORATU

Reverendissimi, Perillustris, ac perquam Gratiosi Domini

D. CAROLI PHILIPPI HENRICI L.B. de GREIFFENCLAU ex Vollrats,

Domini Hæreditarii in Gundheim &c. Ecclesiarum Me-tropolitanæ & Cathedralium Herbipolensis & Spirensis Canonici Capitularis & respectivè Scholastici, Ecclesiæ Collegiatæ ad gradus B. M. V. Præpositi, Almæ & Electoralis Universitatis Moguntinæ p. t. RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

PRÆSIDE,

PRÆNOBILI, CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO AC

DOMINO

D. JOANNE PHILIPPO HAHN,

U. J. D.

Et in præfata Universitate Jurium Professore publico & Ordinario, nec non Facultatis Juridicæ SUBSENIORE.

EX DECRETO INCLYTI JURISCONSULTORUM COLLEGII

PRO LICENTIA

Supremos in utroque Jure honores capessendi, publicæ Eruditorum disquisitioni submisit & defendendam suscepit.

NOBILIS AC DOCTISSIMUS DOMINUS

D. AUGUSTINUS FRANCISC. CUNIBERT, Ringavo-Oestrichius.

IN AUDITORIO ACADEMICO DIE 23. Septembris Anno 1743.

MOGUNTIÆ, Ex Typographejo Electorali Aulico-Academico apud JOANN. HENRIC. HÆFFNER.

EMINENTISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS ELECTOR DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME!

COngenita Celſiſſimo pectori TUO Clementia inter alias cumprimis virtutes principales hoc ſibi habet præcipuum, quod vel medios inter curarum æſtus literarum ſtudia complectaris, atque elucubratos literatorum conatus, quales quales ſint, gratioſiſſimo aſpicias obtutu, hæc virtus adeo TUA eſt, ut digniſſimum TANTO PRINCIPE cognomentum non in patrio tantùm ſolo, ſed & in toto Imperio TIBI conquiſieris, ut non minus Principis in negotiis præcipuè publicis verſatiſſimi quàm Electoris Moguntini nomine jam ubivis audiaris. Unde hujus argumenti fiduciâ humillimas haſce paginas ad Thronum ELECTORALIS TUÆ CLEMEN-

TIÆ ceu pignus quoddam ardentiſſimi mei affectûs depono, offero, dedicóque, maximo-orans-opere, ut folia hæc memoris & devotiſſimo cultu ſubjecti Ectypon eo ſuſcipias vultu, quo cœteros eósque integerrimos æqui boníque Sacerdotes, nec non quoslibet literis bonæque menti ingenuè litantes excipere dignaris. Ter Veneranda Divinitas, quæ TE nobis dedit, ut eſſes patriæ noſtræ Pater, Gloria, Solatium atque amor ſubditorum TE ad totíus Archi-Diœceſeos terræque Electoralis TUÆ gaudium, ad Imperii Romano-Germanici bonum, ad concreditarum TIBI animarum ſalutem diu diúque ſuſtentet, deſideria TUA & noſtrorum omnium feliciter impleat, omnia mala diſpellat, & infelicia quævis potenter ſub Electorali Regimine TUO averruncet, quò tandem ſub clementiſſimis Celſitudinis TUÆ auſpiciis æqua & ſancta Themis cum universa ſubditorum corona vernantis inſtar floris vireſcat, & præſertim tota hæc Illuſtris Academia, quæ pro TE vota precéſque indeſinenter concipit atque effundit, TUIS radiis adjuta magis magísque ſplendeſcat.

EMINENTISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

Humillimus Subditus
Auguſtinus Franciſcus Cunib
Rhingavo- - Oeſtrichi

DISSERTATIO.

§. I.

QUi de Imperiis eorúmque naturâ & indole certi quid ſtatuere voluerint, rem non ex alieno dimetiri, ſed ad propria cujusvis Regni inſtituta eorúmque præprimis ſtatum primævum, ſi quæ dubia circa formam eorundem Regiminis occurrunt, recurrere debent: animadverterunt hoc jam pridem viri in rebus politicis & præſertim in ſcientia Jurerum Germanicarum expertiſſimi, non majorem Jurisprudentiæ noſtræ publicæ Romano-Germanicæ hoſtem in intima patriæ noſtræ viſcera irrepſiſſe,

quam pervicax illud & rei literariæ & hiſtoricæ maximè nocivum ſtudium Jurisprudentiæ Romanæ unicè addictorum legulæorum publica quævis negotia atque ex his emergentia dubia ſecundùm propria Civitatis Romanæ jura atque ſecundùm has leges hanc cum primis ſocietatem civilem duntaxat concernentes dijudicandi, non ſecus ac ſi ſynonima omnino & eadem Regni noſtri Germanici & veteris Latinorum Imperii notio & idea foret.

§ II.

NOn diffitemur equidem multa eáque ſaluberrima ex Romanorum inſtitutis in patriæ noſtræ leges & Germanorum mores diffluxiſſe, abſit autem hoc, quòd Germania noſtra unquam in totum æmula fuerit his Romanorum Sanctionibus, quin in leges ſuas aut ſi mavis conſuetudines inveteratas tenaciſſima ſemper extiterit obſervatrix. Quare profectò nihil tam ab humanis ſenſibus alienum, quàm multa cum multis confundere, & ea, quæ in ſingulari propè differentia proſtant, non diſtinguere, aut ſecernere velle.

§. III.

§. III.

FAteor libenter & primis in hiſtoria Romana elementariis propè notum eſt, primos antiquæ Romæ Imperatores atque vetuſtos illos lineæ merovingicæ (*a*) Reges ſummam in adminiſtratione poteſtatem eámque illimitatam habuiſſe, uti de iſtis Francorum Regibus, eorúmque poteſtate unanimes ſunt omnes Hiſtoriographi, aliam autem Germaniæ noſtræ formam apud Carolingicos, cum primis autem extinctâ hac lineâ Carolingicâ apud ſubſecutos Reges Germaniæ hujúsque Regni Imperatores (*b*) videmus expreſſam.

(*a*) *JOH. NICOLAUS HERT. Cap. 4. notitiæ Regni Francorum veteris* §. *3. pag. 354. de merovingis antiquis hoc venuſtè atquè ſolidè docuit, uti clariſſimus Dominus Georgius Eſtor in ſuo celeberrimo tractatu de judicio Principum ibidem* §. CII. *memorat.*

(*b*) *Cauſam hujus rei edocent obſervationes feudales laudati Dni ESTOR, è quibus conſtat, Germaniam factam fuiſſe Rempublicam, cujus ordines clientelari nexu Regibus erant obnoxi-*

noxii, hique Domini iſtorum beneficiorum clientum animos liberaliſſimè pertractârunt honore, Dignitate, gratiâ. Ipſe Carolus Magnus potentiâ & Authoritate multùm valens illis & rerum geſtarum & gerendarum rationes expoſuit, atque Procerum ſecutus eſt conſilia. ESTOR in d. Tract. §. CIV. *ubi teſtes producit annales Laurisheimenſes ad Annum* DCCLXXXVII. & DCCLXXXVIII. *de Ludovico Germanico fidem faciente SIMONE FRIDERICO HAHN parte,* der teutſchen Staats-Reichs-und Kayſer-Hiſtori *Cap.* V. VI. VIII. *pag. 242. adeò ut prælaudatus Auth. operam judicet omnem perditam in hoc argumento, quum res ſit hodie pervulgata & in manibus Scriptorum cùm hiſtoriæ tum Juris publici jactata & excuſſa.*

§. IV.

INducti fuère in errorem Authores omnem poteſtatem, cauſam & judicium omne in Imperatorem tanquam unicum omnis poteſtatis fontem & principium conferentes, quod naturam Regni Germanici ſibi non habuerint ſatis perſpectam, & inter Im-

Imperia, (*a*) quæ non pleno ſed dividuo regendi jure conſtant, nec pro arbitrio ac poteſtate regia, ſed ex pacto & convento adminiſtrantur, & inter illa, quæ pleno jure & jurisdictione non circumſcriptâ gubernantur, nullam omnino fecerint diſtinctionem.

(*a*) *Illorum enim tota vis ex mutua paciscentium obligatione pendet, non quatenus ea duntaxat ad modum regendi pertinet, ſed quatenus ex ipſa Imperii ratione intima proficiſcitur, atque ad ejus formam ſtatúmque ſpectat, & imperandi jus directo & non extrinſecus tantùm afficit & tangit. Regna ſigillatim noſtræ gentis non teſtamento, ſed ſuffragio & pacto delata ſunt, qualia ex præſcripto prudentum legitima vocantur, & re verâ ſeu Principatus ſeu potiùs Reſpublicæ populares exſtiterunt*, apud Cornelium Tacitum de moribus Germanorum Cap. XI. §. VI. *Serò autem Germania omnis conjuncta eſt, ac nominatim auſpicio Caroli M. in unum civile corpus coaluit firmâ pariter authoritate quæ vel maximè in Regni conventibus relucebat. ESTOR d. Tract.* §. XCV. *gravem hujus rei teſtem adducens Conradum Samuëlem Schurtzfleiſchium*

um in libello, quem composuit de Carolo Augusto, quòd non dissipaverit imperium.

§. V.

NOn itaque judicandum est de forma Imperii ejusque intimâ compage ex institutis latinæ gentis, ex simulacro regiæ potestatis, ex humili subscriptione statuum ad Imperatorem, quâ hodie adhuc utuntur, ex vetusto stylo Curiæ detento & junctis nonnullis, quæ reservata imperatoria vulgò appellari solent, sed potiùs benè perpendendum, penes quos in Civitate aut Republica exercitium regaliorum jurium existat, quæ in devulso nexu cohærent, & indivisibilem majestatem constituunt.

VLRICVS HVBERVS de jure Civitatis L. I. Sect. III. C. III. Puffendorff de jure naturæ & gent. Lib. 1. Cap. 5.

§. VI.

QUo autem tempore ordines Imperii ad tam opima jura pervenerint, non ita in aprico apud multos est; Duæ enim hypotheses & contrariæ hinc sententiæ productæ fuerunt à rerum patriarum peritis, quarum utraque suis Defensoribus rationibusque non destituitur.

§. VII.

§. VII.

UNa Conringii eſt aliorumque exiſtimantium, quos hodie Principes vocamus, hos olim meros Magiſtratus fuiſſe, ſocordiâ autem Imperatorum ſummam rerum potentiam ſibi vindicâſſe, ut MONZAMBANUS de ſtatu Imperii Cap. 3. diſſerit, & LEHMAN in CHRONICO SPIRENSI L. 2. Cap. 21. multis defendere conatur.

§. VIII.

ALtera à Cæſarino Furſchtnerio in tractatu de ſuprematu Principum Germaniæ multum polito longè auguſtiorem periodum poteſtatis Ordinum Imperii repræſentans. Nimirum contendit Franciæ Reges & inter illos Clodovæum fortunâ armorum uſum magnam quidem Germaniæ partem ad fines usque Thuringiæ Francici nominis Majeſtatem comiter agnoſcere coëgiſſe, ſed minimè exiſtimandum eſſe, ditiones germanicas in formam Provinciarum redactas pulſis eorum Principibus ſivè Ducibus ſubſtitutisque Magiſtratibus, Verùm Principes illarum terrarum in fidem duntaxat receptos & electos fuiſſe, conditione imparis fœderis potiùs quàm ſubjectionis, adjunctis tamen Comitibus & miſſis, ne facilius abuterentur poteſtate hac. Actum agerem, ſi quæ

ab

ab hoc actore congeſta ſunt, tranſcribere, & hiſce chartam implere vellem, integris capitibus 15. 16. 17. 18. cauſam ſuam illuſtrare ſatagit author prælaudatus.

§. IX.

QUanquam autem ultima hæc Hypotheſis atque opinio de origine ſtatuum Imperii & eorum poteſtate in ſuis territoriis Principibus honorificentior ſit priori; attamen in hac materia, quæ ego ſentiam, nil ſtatuere mentis ſum, cum non levia utriusque opinionis ſunt momenta, illud tamen abnuere non eſt animus, quod fuerit ea cura Germanis antiquiſſima ne ſumma è libertate à Regibus in ſervitutem ignobilem adducerentur.

§. X.

LIbertatis autem ſuæ præcipuam in hoc conſtituêre partem, quod Principes de cauſis Principum judicare, atque ſiquæ lites & jurgia inter ipſos ratione bonorum aut terrarum à ſe poſſeſſarum intercederent, de bonorum litibus ſententiam pronunciare auderent.

§. XI.

§. XI.

EXposuit optimè Carolus du Fresne Dans Son histoire de S. Louys IX. par Jean sire de Janville enrichie de nouvelles observations & dissertations historiques naturam & indolem curiarum, quas antiqui Imperatores & Reges Germaniæ in conventus Procerum cogebant, in quibus non tantùm in partem Concilii, sed etiam authoritatis vocati fuêre. Quorsum etiam optimè quadrant & quàm luculentissimè thema de Principum judicio antiquo confirmant, quæ JOANNES SCHILTERUS tom. 3. Thesauri antiquitatum teutonicarum solidè non minùs quàm eruditè conscripsit, èx antiquis monumentis latiùs deducens, quas in judicando partes sustinuerint, & quantum efficaciæ ac ponderis eorum suffragia fuerint.

§. XII.

QUod Principum judicium ex natura & regula juris clientelaris, per quam constat, quod Principes, Comites atque Dynastæ, si non omnes certè quàm plures clientelæ titulo atque beneficii nomine suas Regiones à Cæsare acceperint, clarissimus Dominus CHRISTIANUS SENCKENBERG §. 433. pag. 526. juris feudalis Vir in antiquitatibus nationis

Germanicæ verſatiſſimus (cujus nominis ſemper fui cultor ſtudioſiſſimus) ex primævo feudorum Imperii inſtituto doctiſſimè demonſtrat, atque Epiphonematis loco ſtatuit: quod ad feuda Imperii attinet, nemini dubium haberi poteſt, olim cognitionem fuiſſe Imperatoris, cum paribus Curiæ ſivè Principibus, ſeu cauſa ipſum Imperatorem, ſeu ſtatus & membra inter ſe concerneret.

§. XIII.

Non idem ſemper ab antiquo fuerat Principum numerus, ſed, ſicut hodie contingit, multi alii ex nobilibus & ſtrenuis propter bene geſta & conquiſita in Patriam merita in conſortium parium vocati fuêre, his noviter adſcitis Imperatores copiam feciſſe judicandi de Clientelis Imperii ex quàm plurimis conſtat literis regiis deſuper confectis, quod revera fieri non potuiſſet, ſi facultas in ejusmodi cauſis judicandi Principibus aliis tum temporis non competiiſſet: ſic de ejusmodi literis conſtat apud clariſſimum Dominum ESTOR, quas in Originibus juris publici haſſiaci primus divulgavit. Ex quibus videre eſt, Adolphum Naſſoicum Regem Romanorum Henrico Haſſiæ Landgravio ejusmodi facultatem conceſſiſſe, ſicut quoque idem prælaudatus author

thor memorat de Ludovico IV. Imperatore, qui similiter Bertholdo Hennebergiæ Comiti hoc præcipuè largitus est.

§. XIV.

PRæterea brevitatis studio quàm plurima exempla & monumenta, ex quibus jus hoc principium (das Fürsten-Recht) evidentissimè demonstrari potest, congessit hæc in unum citat. Author ita eruditè, ut benevolus Lector congeriem rationum ibidem inventurus sit uberrimam. Hoc unicum mihi sufficiat, ne alieno labore parta mihi vindicare videar, Authores de hac materia tractantes in sequentibus §. §. assignare & relictis iis quæ antea usque ad tempora Sigismundi Imperatoris, quo ad hoc punctum confirmandum gesta fuêre, ea tantùm hic apponere, quæ à prædicto Imperatore sancita fuêrunt, hæc sola sufficiunt, memoriam judicii Principum non tanquam Commentitiam fabulam aut Historicorum figmentum arguere.

§. XV.

NEc credo quenquam ita lepidum fore, quod negare audeat sub regimine prædicti Imperatoris jus Principum non tantùm renovatum, sed in conventu Basileensi anno 1417. firmiter statutum esse,

quod Imperator in caußis bona, famam, honorem & vitam Principum concernentibus judices ipsos Principes tam ecclesiasticos, quàm sæculares decernere debeat. (*a*)

(*a*) Bey aller höchst-gedachtes Kaysers Sigismundi Zeiten anno 1417. den nächsten Sonntag nach St. Ulrici zwischen Hertzog Henrichen und Hertzog Ludwigen beyden Hertzogen zu Beyern, wie Ihro Majestät zu Gericht sassen, und sie ihre und des Reichs-Fürsten als viel sie deren zu der Zeit gehaben mögten, um die Urthel und Recht hierinnen zu sprechen ermahnten, wird von Ihnen allerwegen durch den Herrn Bischoffen zu Verthen ausgesprochen, daß Hertzog Ludwig die Sach von einem Willkührlichen Rechten nicht mögte fürbaß beruffen (provocabat enim ad Pontificem und die Sach von unserem gnädigen Herrn dem Römischen König und seinen und des Reichs-Fürsten verbleiben, und verrechtet werden soll, ob dieselbige Herrn einander ansprach nicht erlassen wollten, und obwohl Hertzog Ludwig bey seinen Geistlichen Rechten zu bleiben vermeynt, so ist doch auf besche-

schehene Submission in vorgerührtem Jahr 1417. Montags nach Vincula Petri nach Kaysers Sigismundi frag von den Fürsten allen einhelliglich zum rechten formaliter gesprochen: nachdem wir hie und in teutschen Landen zum Rechten sässen; Als ein Römischer König und Hertzog Ludwig und Hertzog Hennrich vorgenannt beyde teutsche Fürsten wären, und zum Reich gehöreten, und die Sach teutsch und um des Reichs-Lehen wären, die in teutschen Landen gelegen wären, und wir ihnen beyderseits **ein teutsch Recht mit teutschen Fürsten** besetzet hätten rc. Daß sie auch daselbst ihre Brieff und andere Kundschafften rc. daselbst fürlegen sollen, wie dann besagten Jahr Dienstag nach St. Galli durch die Fürsten definitivè gesprochen worden ist, deßwegen die Kayserliche Urthel-Brieff wohl aufzuweisen seyn.

Am meisten und zum fünfften hat man mehr höchst-ernanten Kayser Sigismundi sowohl an das Consilium zu Basel, wie sich daselb der Cognition über die Chur-Sachsen, so zwischen Hertzog Friederichen zu Sachsen an einem

und Hertzog Erichen zu Lawenburg anders theils strittig gewesen; *cujus controversiæ mentionem facit Crant: lib. 11. Saxon.* C. *10. N.* 13. unterziehen wollen, abgangenes und von Melchiore Goldasto Haimsfeldio *in* 3. *Vol. Imper. constit. & rescript. fol.*440. in den offentlichen Druck jüngsthin *publici*rtes Schreiben, als auch gleichsam *per Pragmaticam Sanctionem* zu manniglichs Wissenschafft *publici*rtes *Rescriptum de anno* 1434. wohl in acht zu nehmen.

Dann obwohl *Cujacius lib. 1. feud. tit. 15. & post hunc* BORCHOLT *Cons.* 31. *q.* 4. *in tract. feud. n. 1.* dieses *rescripti* auch gedencken und *Verba Imperat.* auf folgender maaß anziehen, *feudalis contentio per Dominum feudi & pares Curiæ terminanda est &c.* welche aber *secundùm præscripta juris feudalis* ausgedeutet werden mögten, *ut videlicet tum cognitio ad Dominum pertineat, si lis sit inter convasallos ejusdem Domini, ad pares verò, si lis sit inter Dominum & Vasallum juxta anteriorem constitutionem* FRIDERICI *Imperat. c. 1. §. præterea de prohib. feudi al. per* FRID. *&c. 1. de Controv.*

trov. feud. apert. par. term. Quo sic correctio evitetur, & jura juribus concordentur &c. Jedoch ist aus obgedachten *Sigismundi rescriptis* viel ein anderer Verstand zu erweisen, seytemahl darin ausdrucklich vermeldet, *cum Archi-Principatus, Archi-Marschallatus & jus eligendi Principem Romanum à nobis & S. R. I. immediatè descendant & in feudum dependeant, & juxta formam juris ac stylum & Observantiam S. nostri Imperii feudales quæstiones coram Dominis feudorum etiamsi minores Vavalsores essent, ac paribus Curiarum suarum respectu feudi, de quo agitur decernendæ sint, quod etiam jus in nostrâ Cæsar. Majestate & S. Imperio nostro & paribus Curiæ respectu feudi talis modi meritò debeat illæsum conservari, consequensque esse causam prælibatam ad forum nostrum pertinere.*

Und damit kein Zweyfel übrig bleibe, daß Ihro Majestät sambt denen *Paribus Curiæ* in dieser Sachen zu urtheilen entschlossen, wird dieß ferner angehängt, *quin imo, quandocunque ipse videlicet Ericus Dux Lavvburgensis vel alius justitiam poposcerit, parati sumus pares Curiæ evocare, & causam juxta sty-*

stylum Imperii nostri definire. Hierauf Ihro Majestät die *Patres Concilii requiri*ren und ersuchen, *ut causam ad forum nostrum remittatis more solito & consuetudine Imperii nostri, & parium Curiæ nostræ terminandam.* Viel heller wird daselb ausgedruckt, indem eben dieser Sachen halben an die Fürsten und alle Ständ *sub dato 28. Julii 1434* Jahrs von Kayser *Sigismundo* zu dem End bereits zuvor ausgegangenen *rescripto*, damit solches gleichsam zur ewigen Gedächtnus allenthalben durch die gantze Welt *diffundi*rt und ausgebreitet wird.

Cum itaque (inquit Imperat.) Principatûs officium ac jus à Nobis ac Imperio Nostro in feudum immediatè descendant, ac secundùm juris communis dispositionem, nec non usum, morem, stylum & consuetudinem S. R. I. feudalis contentio ad Dominum feudi & pares Curiæ terminanda sit, liquet hanc quæstionem, si qua prætendi poterit ad nostram & Illustrium Archi-Principum nostrorum S. R. I. Electorum pertinere notionem. Deinde subjicit idem Imperator, nos eidem Erico semper ultroneos præbuimus justitiæ complementum ministrare legi-

legitimæ, quod aliter expediri nequit, nisi parium nostræ Curiæ arbitrio respectu feudi memorati. Quos utique pares legitimè requisiti prompti sumus, more Imperat. Majestatis intra fines Alemanniæ vocare, ubi de causis & quæstionibus Principum Alemanniæ ex stylo Imperii nostri nos convenit judicare.

Ebenmäsig stehet darzu thuen, daß bey Regierung Kaysers *Maximil. I.* in dem Streit zwischen Pfaltz-Graff Ruprechten und Hertzog Albrechten und Wolffgang in Bayern, über Hertzog Georg in Bayern hinterlassene Land, Leuth und Güter, Ihr Majestät mit Rath, und Beyweesen Ihrer und des Reichs-Churfürsten u. anderen ständ in mercklicher Anzahl zu Cölln *anno* 1505. einen endlichen Spruch und Entscheid gethan, in masen der Königliche Vertrag zu Cöllen aufgerichtet (welcher bey Melchior Goldast Haimbsfeld in den gedruckten Reichs-Handlungen *tract. fol.* 45. zu finden;) im Buchstaben dasselbe ausweisset. Bleibt derowegen ohnverneinlich, daß dergleichen hohe *Regalia feuda* ohne Mittel vor die Kayserl. Majestät auch Chur- und Fürsten, *uti pares Curiæ secundum stylum & ob-*

servantiam S. Rom. Imperii zugleich und ohne Mittel gehörig, sonst kein andere Richter, so geringen Stands dieser *cognition* fähig seyn.

Dannenhero Kayser Friederich der dritte dieses Nahmens, als in einem Kayserl. Schreiben wegen des zwischen Henrichen und Albrechten beeden Hertzogen zu Bayern über Hertzog Ludwigs *Mortani* hinterlassen Land- und Leuth schweben, den Streits der angesetzte *Termin* erstreckt, und darin *per errorem* des Königl. Cammer-Gerichts gedacht, aber solches vom Hertzogen mit Beruffung zum Fürsten-Rechten *recusi*rt worden, den Hertzogen *sub dato* an *St. Bartholomæi* Abend *anno* 1448. wiederum geschrieben, wie es nicht die Meynung habe, daß der Hertzog vor dem Kays. Cammer-Gericht, als welches mit niederen Stands-Persohnen besetzt, erscheinen solle, sondern allein vor ihrer Majestät und des Reichs-Fürsten, so sie zu sich ziehen würden. *Vid.* CASPAR KLOCK, Tom. 1. *Consil. 7. n. 183. usque 99.*

§. XVI.

§. XVI.

SAtis ſuperque mihi dixiſſe videor, ſi, ut promiſi, magni nominis authores hic ſubjiciam, qui hoc argumentum de judicio Principum diligenter & ſtudiosè confecerunt.

Marquardus Freherus tom. 1. pag. 667. ſeqq. deren *Europæi*ſchen Staats=*Conſiliorum apud Lunich*: *Joannes Jacobus Fugger* im Spiegel der Ehren des Ertzhauſſes Oeſterreich. *L. V.* C. II. *p. 530. Joannis Sigismundi querelas cum Rudolpho* II. *Imperatore provocantis ad judicium Principum exhibet ad acta publica Londorp. p. 1. l. 1. c. 14. p. 86. de* Carolo *M. cum conſilio Procerum judicante memorant annales Laurisheimenſes ad annum* DCCLXXXVII. *Nicolaus Gundling de ſingularibus ad legem Majeſtatis*: *Hermannus* Con*ring de judiciis Germaniæ &* CHRISTIANUS ULRICUS GRUPEN *obſerv. hiſt. prima p. 523. de Ottone tertio cum judicio Principum judicante obſervavit Dittmarus Merſeburgenſium Antiſtes L.* IV. *annalium pag. 351. de* Con*rado* II. *fidem fecit Wipo p. 436. de Henrico* III. *annales corbeenſes Volum. 2. apud* LEIB-

 NITZ

NITZ *p. 304. ad annum* MXLVII. *de Henrico* IV. *Wilhelmus Heda in historia Episcoporum Utrajectensium. De eodem Lambertus Schaffnaburgensis ad annum* MLXX. *& Bruno in historia belli Saxonici p. 115. & Joannes Fridericus Schannat* Collect. II. *vindemiarum literariarum pag. 113. de Friderico Aheno-barbo allegante exemplum* Conradi III. *in curia Principum judicantis.* BURCHARDUS GOLDHELF. STRUVIUS *in corpore juris publici cap. 25. p. 934.*

§. XVII.

NOn difficile autem erat Imperatoribus maximam atque sibi suæque supremæ potestati maximè infestam Principum authoritatem quodammodo labefactare, atque sensim sine sensu ordinarios Imperii Conventûs in quibus summa negotiorum ab arbitrio Principum dependere Imperatores propè noverant, horumque judicia vix non deprimere. Conquesti etenim fuerant Principes Imperiíque status non raro de maxima officiorum suorum impensa in patriam exsolvenda, atque onerabant eosdem quotidianæ illæ in itinera conventúsque Imperii faciendæ effusiones, præsertim illis temporibus, quando

quando talia tributa & onera à populis ſubditiſque ſuis expoſcere apud Germanos noſtros res planè inſueta & incognita erat. Ferdinandi primi tempora duntaxat novitatem tributorum invexerunt, non alio planè ſub titulo, quàm quod ad res Imperii conficiendas conferenda eſſent.

§. XVIII.

BOnorum & reddituum ſtatibus Imperii obvenientium tenuitas ex una, augeſcens autem indies & plusquàm regios proventus expoſcens luxus & in Principum Aulas pleno velut alveo prorumpens pompa & faſtus ex altera parte quid aliud parturire poterant, quàm triſtiſſima contracti æris alieni, quo obruebantur, incommoda & damna & ſtudium omne pro parte impenſas diminuendi? Judicabant optimates hoc fieri poſſe, ſi domi res ſuas familiares peragere & commodè non labore tantùm ſed & ſumptu itineris ad judicium Principum conficiendi ſuperſedere poſſint.

§. XIX.

FRIDERICO jamdum tertio & querelas & concepta deſuper ſe ſe hiſce ſumptibus expediendi media expoſuêre, ut in locum optimatum alias ad judicia

commeantium viros ſibi adſciſceret juris peritos & rerum patriarum non ignaros, quorum conſilio, ſpe & induſtriâ non tam negotia Imperii publica tractari, ſed & querulantium etiam Procerum lites & jurgia componi poſſent, quamvis non felici adeo ſucceſſu, cogitabat enim pientiſſimus ille Germanorum Imperator, per inſtituta ejusmodi judicia & repentem jam in patrio ſolo legulejorum Romanorum barbariem cauſis quùm publicis tum privatis non ita conſultum fore, ſed per lentam ejusmodi fori tabem miſerandorum civium fortunas paulatim exeſum, & bonos Germanos hiſce novis judiciorum latrociniis oppreſſum iri. Usque dum tandem poſt iteratas plurimas Maximiliano primo factas inſtantias ab hoc vaſtiſſimi alias animi Principe, hoc, quod à FRIDERICO impetrare non poterant, felicibus ut credebant ſatis votis effecerint optimates, atque viri prudentiâ literis, & rerum experientiâ præſtantes ad decidendas inter Principes lites & jurgia ſelecti, atque exinde duo Imperii tribunalia ſuprema alterum Viennæ in Auſtria alterum ſpiræ Nemetum erecta fuerint, relictâ verò ſemper in Imperio quoad modum regendi formâ illâ antiquâ ſartâ tectà, quod Principes cum primis negotiis publicis atque communem utilitatem reſpicientibus ſemper remanſerint præfecti.

§. XX.

§. XX.

ILlud autem adhuc prope observatum velim, Maximiliani temporibus judicium illud Principum antiquum non penitus abolitum, quin quod *(a)* vestigia ejusdem non tam sub prædicti Augustissimi Imperatoris, verùm etiam CAROLI V., regimine quamvis iste omni modo potestatem Principum effringere allaboraverit, cûm maximè appareant, cum in absentia sua consilia virorum integra statuerit, quæ modò regimentum nunc Imperii senatus appellata fuerunt.

(a) *Quæ fuerit horum judiciorum potestas patet è Verbis Maximiliani I.* dieselben *President* und Personen N. Jahrlang die nächsten unser und des Reichs-Rath seyn und genennet werden, und sonderlich vollen Gewalt, Macht und Befehl haben sollen, den wir ihnen auch in krafft dieses Brieffs geben alle und jegliche Sachen Uns als Römischen König und das Reich antreffend und die von des Reichs-Verwanden, oder anderen an Sy langen oder entsteeen würden zu verhören, fur sich zu vorderen, mit Bleiß zu betrag-

tragten, zu ratschlagen, auch endlich zu beschliesen nach ihren besten Verstendnuß auf ir nachgemeld Pfligt, zu Unser und des Reichs Ehren und Merung, *& ex mandato hoc anno* MD. §. von den zwentzigen rc. *dato* die auch mit sambt Uns oder so Wir an Unser Statt sezen Unser und des H. Reichs-Rath seyn und gehalten werden, und sonderlich von Uns volkommenen Gewalt, Macht und Bevelch haben sollen, den wir ihnen auch in krafft diß Briefs geben, alle und jede Unsere als Römischen Königs und des H. Reichs-Sachen Recht, Fried und ihrer haider Vollziehung und Handhabung auch Widerstand gegen den Unglaubigen und Anfegtern der Christenheit des Reichs, und das an dem Frieden Rechten ihrer Handhabung und dem Widerstand obgemeld hanget, oder darzu dienstlich oder erschieslich seyn mag, antreffen, und wie die von des Reichs-Unterthanen oder andere an sie langen, oder entsteeen werden, in solchen vorbeschriebenen Articulen zu verhüten, für sich zu vorderen, zu handlen, mit Fleiß zu betrachten, zu ratschlagen und endlich zu beschliesen nach ihrer

besten

besten Verstendnuß auf ihn nach gemelter Pflicht zu Unserer und des H. Reichs Ern.eurung und Mehrung.

§. XXI.

SEd sicut nihil tam solidum atque firmum, quod non tractu temporis præcipuè studiosâ Potentiorum ambitione invalidum fieri aut si non penitus, & in totum pro multa tamen parte concidere potest, sic non parum firmitatis habet hæc nostra conjectura, temporibus CAROLI V. in Proceres Imperii non adeò affecti imperatoriam potestatem nimiùm auctam, & Optimatum jura non nihil depressa fuisse. *(a)*

(a) *Qui causas statuum feudales in judicium contradictorium deductas sibi soli reservare incepit anno* MDXXI. *in Verbis edicti*, ob auch sachen vorfielen Fürstenthum, Graffschafften rc. belangend, so vom Reich zu Lehen rühren, so einem Theil gäntzlich und endlich abgesprochen werden solten, derselben Erkantnuß wollen wir uns hierinnen auch vorbehalten haben, doch sonst in anderen Sachen diesem Unserm Regiment und der Cammer-Gerichts-Ordnung unabbrüchig, *quumque an-*

no MDLV. *lex ferretur, quam in judicando observarent Aſſeſſores tribunalis ſpirenſis, idem pag. 11. tit.* VII. *ſancitum reperitur.*

§. XXII.

HOrum veſtigia inſiſtentes ſecuti Imperatores, præprimis autem MATHIAS (*a*) & FERDINANDUS III. Romanorum Rex rem omnino juxta vota ſua ita compoſuêre, ut Proceribus Regni non niſi umbratilis in judicando poteſtas reſidua eſſe dici potuerit.

(*a*) *De quo Clariſſimus Dominus Conſiliarius* ESTOR *in ſuo tract. de labefact. Principum judicio* §. CCLII. *præclarè admodum memorat: Mathias autem Imperator, cujus Conſiliarios, uti quidam Ordines exiſtimabant, communis quidam & pernitioſus error de ſtatu rei Romanæ infecerat anno* MDCXVII. *cum modum & ordinem ſtatueret judicio Imperii, quod in aula ejus cogebatur titulo* II. *hunc in modum ſanxerat,* in Unſern Reichs-Hoff-Rath und deſſelben jurisdiction ſollen alle und jede Sachen des heiligen Römiſchen Reichs deſſelben Hoheit, Recht, Herrlichkeit und Gerechtigkeiten, Pfandſchafftung, Löſung, *rega-*

*regali*en hohe und niedere Lehen *Privilegi*-en, *indulta confirmatio*nen, und anders wie folget, Nahmen haben mag, und in *Summa* was nach den ohnfehlbahren *justi*-*ti*en *dirigi*ret, oder *deduci*ret werden mag, insonderheit alle und jede Parthey-Sachen, die Rechts-Gewohnheit *connexit*ät und *conse*-*quens* halber für unser Kayserlich Gericht ge-hören, oder von den ersten *Instanti*en durch Mittel deren *Appellation*en, *Supplication*en, *di*-*ctionis nullitatis, invocationis officii* oder in all anderen Weeg sich dahin wenden, *fundi*rt und gehörig seyn; die sollen allda angenommen, gerechtfertiget, darüber erkannt, und die Nothdurfft *expedi*ret werden.

§. XXIII.

EX qua MATHIÆ ordinatione oppidò liquet, causas beneficiarias Principum alias ad eorundem cognitionem spectantes, plenis brachiis ad judicium Imperatoris solum derivatas, atque sic paulatim egregiam illam Procerum potestatem multùm imminutam extitisse, animadvertebant tamen solertissimi hi Imperatores, rem non sinè animi motibus institui posse, ut exutis potestate Principibus ipsi soli jura statuerent, quare pro ea, qua Consilium aulicum

evehere studebant solertia, tamen reliquias hujus judicii Principibus judicabant esse relinquendas in judicio Camerali, dum recognitionem aut revisionem causarum ibidem judicatarum Principibus si non omnibus, saltem (*a*) quibusdam ex iisdem speciatim ad hoc negotium deputatis committendam esse, aut ipsi statuerint, aut solummodo permiserint.

(*a*) *Recessus Imperii* MDXXX. *tit.* II. §. XVII. *ubi de revisione* darauf gedachter Ertzbischoff (Chur-Mayntz) den Churfürsten, Fürsten, *Prælat*en, Graffen und Ständen, so zur Jährlichen *Visitation* verordnet, schreiben, ihnen solches anzeigen, mit Begehren, ihre treffentliche, erfahrne, geschickte, gelehrte Räth zu schicken, in solcher Sach vermög derer Rechten zu handlen und Billigkeit zu verfügen.

§. XXIV.

QUare non exigua modernorum Juris consultorum cum primis autem Publicistarum pars in eam collimare videtur sententiam, quod jus judiciorum olim cum Proceribus communicatum in caussis feudorum regalium quoad civilia sit reservatum Imperatoris.

§. XX[illegible]

§. XXV.

IN causis criminalibus verò hoc pervulgatum apud omnes, Imperatorem se solo amplius nihil contra Optimates statuere posse, cum FERDINANDUS III. jam pacto solenni promittere debuerit, se ex Regni Ordinibus neminem sinè Electorum consensu hostem judicaturum, neque bonis & terris suis proscripturum: non indignantibus parùm aliis Regni statibus & Principibus, (*a*) qui iniquum penitus judicabant, rem ad cunctos Imperii Proceres pertinentem, à solius Imperatoris & Collegii Electoralis nutu & notione dependere, quare omni studio non tantùm novissimè, sed & in Electione CAROLI VI. contendêre, ut proscriptiones contra status forsan decernendæ, aut potius jus in causis Procerum capitalibus quidquam statuendi postliminio rediret, quod & obtinuerunt.

(*a*) *Quum à Leopoldo Cæsare anno* MDCLXIII. *de civium Erffurtensium capitibus & bonis ex suffragiis ferretur proscriptio, & Josephus Imperator proscriberet eodem modo Maximilianum Emanuelem Bavarum & Josephum Clementem Coloniensem, Principes ritè intercessisse, constat inter omnes.* ESTOR §. CCXXII. *& Brandenburgicus ipse Ratisbonæ professus*

erat, deteriorum ſeptem virorum Principumque Germaniæ, quam infimi Poloniæ nobilis conditionem futuram, ſi de Capite, bonis aut dignitate Principis extra Regni Conventum agi poſſet.

Videatur Capitulatio noviſſima CAROLI VII. *art.* XX. *ubi præſcribitur modus procedendi contra Principes & Status Imperii in cauſis Capitalibus in terminis:* Wir ſollen und wollen auch in Acht- und Oberacht-Sachen Uns demjenigen, was vermög *inſtrumenti pacis* in dem jüngeren Reichs-Abſchied §. Nachdem auch in dem Münſter- und Oßnabrückiſchen Friedens-Schluß ꝛc. verglichen und *ſtatui*ret worden, allerdings gemäß achten, abſonderlich aber auch darauf halten, daß hinführo niemand Hohen oder Niederen Stands Churfürſt, Fürſt oder Stand, oder anderer ohne rechtmäſig- und genugſame Urſach auch ungehört und ohne Vorwiſſen, Rath und Bewilligung des H. Reichs Churfürſten, Fürſten und Ständen, in die Acht- oder Oberacht gethan, gebracht, und erklärt, ſondern in denen künfftigen *caſibus* darinnen nach Beſchaffenheit des Verbrechens auf die Acht- oder *Privation* entweder von

Kay-

Kayserlichen *Fiscal*-Ambtswegen, oder auf Beruffen des *lædi*rten und Klagenden theils zu *procedi*ren, und in Rechten zu verfahren, und darüber Wir entweder an dem Reichs-Hoff-Rath und Unserm und des Reichs-Cammer-Gericht *pro administratione justitiæ* angeruffen, oder *implori*ret werden zuvorderst in *decreti*rung oder Auslassung deren auf die Reichs-Acht oder *privation* gebettenen Ladungen und *Mandat*en sodann in der Sachen weiteren Ausführung biß zum Beschluß auf des H. Reichs hierüber vorhin gefaste Gesätz und Cammer-Gerichts-Ordnung genaue und sorgfältige Achtung geben, damit der Angeklagte nicht *præcipiti*ret, sondern in seiner habenden rechtmäsigen *Defension* der Nothdurfft nach angehöret werde, wann es dann zum Schluß der Sachen komt, so sollen die ergangene *Acta* auf offentlichen Reichs-Tag gebracht, durch gewisse hierzu absonderlich vereydigte Ständ (den Prælaten- und Graffen-Stand mit eingeschlossen) aus allen dreyen Reichs-*Collegiis* in gleicher Anzahl deren *religion*en *examini*ret und überleget, deren Gutachten an gesambte Chur-

für-

fürsten, Fürsten und Stände *referi*ret, von denen der endliche Schluß gefasset, und das also verglichene Urtheil, nachdeme es von Uns oder Unserem *Commissario* gleichfalls *approbi*ret, in Unserem Nahmen *publici*ret, auch die *Execution* sowohl in diesem als anderen Fällen anders nicht als nach Innhalt der *Executions*-Ordnung durch den Craiß, darinnen der Aechter gesessen und angehorig, fürgenommen und vollzogen werden.

§. XXVI.

CAROLUS V. primus (*a*) fuerat, qui in Saxonem, Hassum & Würtenbergicum (*b*) secluso Principum judicio causam capitalem agebat, ostentabat hic Imperator tantum armorum victricium terrorem, ut Germania penè omnis sub ipsius arbitrium & dominatum collapsa in maxima jurium suorum & libertatis antiquæ conversione attonita substiterit.

(*a*) *Neque Carolus Magnus, neque hujus posteri, neque qui his mortuis regnärunt, tantum sibi sumpserunt atque arrogaverunt, ut soli in talibus causis judices sederent, & pro tribunali sinè Procerum suorum suffragiis de vita ac fortunis Ducis & Principis statuerent, obser-*

van-

vante Nicolao Gundlingio Cap. 3. ad legem Majestatis §. XXXV. *p. 187. apud* ESTOR. *Nonne Bernhardus Pipini Filius anno* DCCCXVIII *in ordinum conventu fuit Majestatis damnatus Adelinus pag. 419. annalium francorum. De Agoberto Lugdunensi antistite idem refert, author vitæ* Ludovici pii *Ernestus, Uto Beringerus, Sigehardus Proceres, in annalibus fuldensibus p. 27. Adalgisus Dux Beneventarum, Zundebochus morauus, Adelbertus Bambergensis, Gerhardus & Matfridus, Arnulphus Bavarus, Berchtoldus, Erchangerus, Luitfridus, Boleslaus I. Boiaemus, Fridericus Moguntinus, Conradus Francus, Henricus Bavarus, Udalricus Bojohemus, Gottofridus Lotharingicus, Conradus Bavarus, Gebhartus Ratisbonensis, Adelbertus Bremensis, Otto Bavarus, Weringerus Magdeburgicus, Bucco Halberstadiensis Magnus & Fridericus saxones simili modo vel capitis damnati vel proscripti deprehenduntur. Sileo memorabiles illas literas, quas Werinherus Antistes Magdeburgicus anno* MLXXV. *ad Sigefridum Moguntinum hac de re dedit, quas* ESTOR. *l. cit. in extenso exhibet, quin quod ibidem prælaudatus author*

exhibeat, quod pari ratione Proceres judicarint de criminibus Ruthardi Moguntini, Conradi Romanorum Regis, Henrici Lothariensis, Sigfridi Palatini, Lotharii Saxonis, Sobieslai Bohemi, Hermani Wincenburgici, Henrici Moguntini, Hermanni Palatini, Booleslai Poloni, Conradi Palatini, Alberti Saliburgensis, Petzemislai Ottogari Bohemi, Ottonis Wittelsbachii, Ottogari ejusdem, Werneri & Hermanni Kyburgicorum, Ottonis Palatini, Henrici Regis Romanorum, Friderici Austriaci, ita ut post interregni tempora eadem instituta tenuerint Imperatores, ut docent exempla Ottogari II. Bohemi, Ludovici Ottonis & Henrici Carinthiorum Eberhardi Wirtenbergici, Joannis Austriaci Henrici Carinthii, Roberti Siculi, Joannis Bojohemi, Cunonis Falckensteinii & aliorum.

(b) Septem Vir Palatinus culpam deprecatus post acrem satis reprehensionem veniam impetravit, cum Wirtenbergico duriùs actum est, quippe, qui se suas fortunas omnes jussus Cæsari dedere nec aliter pacem impetrare potuit, quàm ut supplex genibus flexis in frequentissima astantium corona ipse veniam precaretur, & in multas insuper alias leges prorsus graves

jure

jure jurando ſe adſtringeret. Philippus Haſſus ad Cæſarem admiſſus adſtantibus non tantum multis Principibus interque eos etiam Henrico Brunſuicenſi, quem paulò antè ſua ex poteſtate ipſe dimiſerat, ſed & legatis omnibus variarum gentium, qui apud Cæſarem tunc erant & compluribus purpuratis ſupplex & in genua procumbens per ſecretarium ſecretiorem, Cancellarium vocant, rogat, ut ille ſibi ignoſcat, proſcriptionis pœnam aboleat, priſtinam dignitatem ſibi reſtituat, & ad ſua remittat, reſpondet Cæſar per unum è purpuratis, ſe propter hanc ipſius ad ſuos pedes abjecti ſupplicationem tollere proſcriptionem, remittere pœnam capitis, quam fuerat meritus, Philippus poſtea fuit in cuſtodias datus, nihil hic de Principum judicio. Joannes Fridericus Saxo, quum Carolus V. eum cepiſſet, & ad ſe duci juſſiſſet, acriter à Cæſare fuit increpitus, mox in cuſtodiam Hiſpanis datus, ac deinde quum caſtra jam ad Wirtenbergam ille promoviſſet, capitis damnatus, & ſupplicium iſtic ſubire eſt juſſus, neminem Procerum ne dicam cunctos ex more inveterato in conſilium adhibuerat Cæſar, viſa eſt hæc res planè peregrina, atque acerba uni-

versis Imperii Ordinibus, quum à veteri more recederet Cæsar solus hostes judicans & proscribens summos Imperii Principes, ac de horum fortunis & vita suo arbitratu statuens: præcipua quidem sua jura urgebat Cæsar, & extollebat, quum tamen docente Hyeronimo Nicolao Gundlingio *p. 187. nunquam tam invidendum jus solis Regibus Germaniæ exercendum legatur esse concessum, idcirco Saxo & Hassus querelas habebant gravissimas apud Regni Ordines de dura & aspera Sententia, quæ videri potest una cum responsis dictorum duorum Principum apud* ESTOR *loco citato* §. CCV.

§. XXVII.

HAnc quam Carolus V. primitùs calcaverat viam, alii ejusdem successores, si Ferdinandum I. & Maximilianum II. libertatis Germaniæ laudatissimos cultores & jurium Principum conservandorum Assertores strenuos excipias, cum primis autem Rudolphus II. Princeps sanguinis ferventissimi, & ad minima quævis ebullientis atque ex post Ferdinandus II. incessêre, quorum primus Donawerdæ oppidi cives solus anno MDCVII. proscripsit alter Fridericum Palatinum Electorem, Joannem Georgium Jægern-

dorf-

dorffium, Chriſtianum Anhaltinum, Georgium Hohenlohium, Adolphum Fridericum & Johannem Albertum Megapolitanos contra antiquum Germanicæ nationis morem & conſtitutiones expreſſas absque conſenſu aut ſuffragio ſeptem virorum condemnavit.

§. XXVIII.

QUare Electores cæterique Principes probè obſervantes, quantum libertas ſua primæva periclitari poſſet, ſi Imperator ſolus in hiſce cauſis capitalibus quidquam decernere poſſet, judicium hoc Principum ab Imperatoribus modò dictis penitus proſtratum reſuſcitavêre & in ultimis pactis cum Auguſtiſſimo Imperatore Carolo VII. initis de novo firmiter & ſub nullo verborum involucro ſed aperto & claro ſenſu reſtauravêre non ſolum in ſubſtantia quid certi, ſed & modum & normam proponentes qualiter & cum quibus ordinis judiciarii formulis ex præſcripto contra eosdem, ſi forſan contra Leges & Regni conſtitutiones deliquerint, procedi deberet.

§. XXIX.

QUæ cum ita conſtituta ſint, in legibus patriæ noſtræ noviſſimis circa cauſas Principum capitales, non immerito quæri poſſet, quidjuris de facto in

caufis Principum, civilibus aut Beneficiariis, fi lites inter ipfos ftatus circa eorum ditiones, territoria, jura, regalia aut quæcunque alia horumque fucceffionem exoriantur? an jus Principum illud ab antiquo eisdem indubiè competens ftante præfente Imperii noftri fiftemate adhuc fubfiftat, aut utrum, fi forfan injuriâ temporum ftatuúmve conniventiâ labefactatum poftliminio dici poffet rediiffe, aut an potius per confuetudinem, aut fi mavis dicere leges Imperii expreffas in totum conciderit.

§. XXX.

PRofectò fi ex animi fententia mentem meam defuper exponere, atque pro comperto, quid fentiam edicere debeo, nullatenus vereor ftatuere jus Principum illud antiquum non tantùm de facto & ex Imperatorum præpotentia, fed de jure & ipforum Principum placito penitus interiiffe & non nifi in certis tantùm cafibus & caufis, de quibus inferiùs pauca differam, hodie adhuc obtinere.

§. XXXI.

MEmini equidem & ipfos Imperii Proceres in caufis forfan in Confilio Imperii Aulico pendentibus, fi vel ab hujus Affefforibus fe contra juris ordi-

ordinem gravatos esse existimaverunt, ad jus Principum illud antiquum provocâsse, (*a*) & plurimos egregii nominis Jurisconsultos postulato horum Imperii Procerum adstipulari, atque non aliam labefactati Principum judicii causam assignare, quàm supinam illam juris germanici ignorantiam & jurisperitorum unicè Jurisprudentiæ Romanæ addictorum solertiam, qui cum à Consiliis Principum existebant, in maximum eorundem præjudicium rem omnem ex istius juris scripti præscriptis dimensi esse videntur rerum patriarum & moris germanici ignorantes, quare enascente indies majore rei literariæ & historiæ germanicæ luce non absonum esse, patrios illos priscos mores, & obliterata Majorum nostrorum instituta, atque ab his profluentia Principum jura ad primævum restituere statum.

(*a*) *Quemadmodum Fridericus Borussiæ Rex à Josepho Cæsare Principum judicium postulavit, ùt constat ex Joannis Christiani Lunigii* Reichs-Cantzley *parte* VII. *pag.* 45. *in literis de dato* 3. *Aprilis Anno* 1710. *inter alia*, allenfalls wir auf das in dem Westphälischen Friedens-Schluß *art. V.* §. 55. *renovi*rtes und in denen Reichs-*Constitutio*nen heilsamblich verord-

ordnetes aus der ersten *Capitulation* eines Römischen Kaysers mit den teutschen Reichs-Ständen zu Coblentz herfliessendes, und von Ewer Kayserlichen Majestät selbst in Dero Wahl-Capitulation §. 38. gleich anderen Kaysern versprochenes Fürsten-Recht zu *provoc*iren auch zu andern in dergleichen Fall zu Erlangung unpartheyischer *Justitz* im Reich erlaubten und hergebrachten Mitteln unsern *recurs* zu nehmen *necessiti*rt werden.

§. XXXII.

QUemadmodum celeberrimus Dnus SWEDERUS p. S.S.1. C. 9. §. 11. & sequentibus simpliciter putat, necessarium adhuc esse consensum parium Curiæ, id est convasallorum seu statuum, quando de feudis regalibus judicium esset decernendum, atque de integris Principatibus & Ducatibus aliisque feudis majoribus res esset in judicio discutienda.

§. XXXIII.

SEd quod pace tanti Viri dixero me Hercle non video, quod Principes ipsi huic juri, quod habuerunt, non cesserint, cum sancita Imperii quàm plurima ipsorum arbitratu & consensu promulgata, partem hanc aut totum ut potius dicam jus judicandi in

causis

causis Principum Imperatori jam pridem addixerint, sic etenim Imperator hoc solùm & expresse sibi unicè reservat in ordinatione regimenti ab Imperii Statibus non contradicta, quin potius si non expresso, saltem tacito eorundem consensu homologata de anno 1521. tit. 7., quod itidem apparet ex ordinatione Cameræ p. 2. tit. 7.

§. XXXIV.

QUorsum non incongruè collimant facta continuâ praxi confirmata, de quibus Nizius ad Capitulationem Josephi pag. 602. memorat, quod nempe Ferdinandus II. Imperator litem inter Darmstadianum & Homburgensem Landgravios exortam in causa successionis & Leopoldus inter Gottorpensem & Plœnensem Duces solus absque interventu & Consilio Principum dijudicaverint: sicut et non ita pridem controversia de successione Juliæ, Cliviæ & Montium inter Brandenburgicum, Palatinum & Saxonem in Aula Imperiali agitabatur, quod quamprimis apparet ex instrumento pacis Monasteriensis art. 4. §. 57. ubi paciscentes statuebant, causam successionis Cliviæ & Montium coram Imperatore vel judicialiter vel amicabili compositione esse terminandam, ut cum maximè ex Recess. Imp. de anno 1654. §. 188. ubi Imperator promittit se de causa Hamburgensi judicatu-

caturum, quæ omnia cum Statuum & Imperii Principum consensu sint sancita, profecto dubium nullum relinquunt suspicandi, an judicium Principum in causis feudalibus suffragia ferendi adhuc hodie integrum & illibatum existat.

§. XXXV.

IMo potius omne dubium submovetur per ea, quæ temporibus tractatuum pacis Westphalicæ, in quibus Principes præcipuè Augustanæ confessioni addicti lapidem omnem moverunt, jura sua hucusque & in antiqua praxi observata melius firmandi, circa hoc punctum gesta fuêre, commemorat hæc celeberrimus Dnus ESTOR in tractatu de memoria judicii Principum eruta §. LXXVII. cujus verba pro ut habet hìc apponere juvabit. „Idem quoque Imperator (Ferdinandus II.) anno MDCXXII. secundùm filios „Eduardi Fortunati Badensis adversùs Ernestum Fridericum Durlacensem sententiam pronunciavit & „hic Marchionatum superiorem cum omni causa litísque totius expensis restituere jussus est, acerbum „sanè quod commemoro: si consideres actiones Eduardi Fortunati invidiæ plenas, & quæ ejusmodi „erant, ut fastigio principali nequaquam convenirent.

„ rent. Is etiam erat, qui à purioribus Cæremoniis
„ & sacris discesserat. Judicata fuit causa in tribu-
„ nali aulæ Imperatoriæ, & illo quidem tempore,
„ quo res publica germanica lapsa in pejus id ipsum a-
„ gi querebatur, quod per libertatem suam pati non
„ posset, & contra vim decretáque asperiora sensim
„ armis niti inciperet, appellans authoritatem judicii
„ Principum ut quod cum Germaniæ regno natum re-
„ ligioséque conservatum fuisset: CONRADUS SAMU-
„ EL SCHURSTZFLEISCH de rebus Badensibus §. IX. p.
„ 26. seqq. latà est hæc sententia eo tempore, quo
„ Germania conturbari & distrahi cœpit, ob edicta in-
„ clementiùs edita; jussus autem erat Fridericus V ce-
„ dere possessione superioris Marchiæ, & quod omni-
„ um asperrimum visum est restituere fructus ejus
„ nomine perceptos & percipiendos damnaque facta
„ & expensas sarcire. Ipse quidem Fridericus, quem
„ nominis distinguendi causâ VI. appellant, anno
„ MDCXLVII. in Westphaliam ingressus Osnabru-
„ gam, ubi pacis gratiâ conventus agebatur, per-
